AD

MÆCENATES

SUOS.

VAde ſalutatum notos, mea Muſa, Patronos,
Qui mihi ſuppetias ſæpe dedêre pias.
Atq; opta ut Pylios peragant feliciter annos,
Queîs noſtri in duro tempore cura fuit.
Diſſimileſq; mei ſortem experiantur amicam,
Et votis habeant cuncta ſecunda ſuis.
Tempus ad hoc vixi, rixis & lite ſolutus,
Nil metuens rigidi jura ſevera fori;
Nunc non ſolvendo, legum vincliſq; ligatus,
Heu vereor cœco in carcere dura pati.
Nec quibus eripiar rationibus eſt mihi certum,
Vos niſi, gens hominum fida, feratis opem.
Diſpudet auxilium toties expoſcere amicos,
Quorum larga mihi eſt uſq; reperta manus.
Sors at iniqua jubet quidvis tentare, pudore
Poſthabito, ut fugiam quæ mala carcer habet.
Quare ego vos ſupplex, ne quis ferat ægrius oro;
Nam durum telum eſt ſqualida pauperies.

W. D.